



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

5. Coram quo sit appellandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

10. Sexto, condemnatus pro debito publico seu fiscali *l. Abstinentum 4. l. fin. C. Quorum appell. non recip. can. Et qui appellat. §. quoties 2. q. 6.* quando scilicet fiscus certat de damno vitando: scus, si de lucro captando.

11. Septimo, Officialis alicujus Iudicis, convectus & condemnatus pro gestis in officio, à suo iudice non appellat, *l. Nulli Cod. Quorum appellat. non recip.* sicut quilibet officialis, condemnatus in syndicato, ad effectum retardandæ executionis.

12. Octavo, non appellatur à sententia lata in causa decimarum, *c. Tua nobis, & ibi Glos. inf. De decimis*: nec item de jure civili à sententia lata in causa possessorii, *l. 1. Cod. de momentanea possess.* quando scilicet causa modici est præjudicij cujusmodi est iudicium spoliationis, quod summarie & veluti in momento expediti consuevit. Et hoc quoad effectum retardandæ executionis: alioquin valet appellatio quoad effectum devolutivum. Similiter de jure civili non appellatur in causis minimis, & brevioribus secus de jure Canonico.

13. Nono non appellatur quis ab eo actu, quem probavit, *l. Ab eo Cod. Quomodo & quando Index &c.* Similiter non appellat, qui renuntiavit appellationi suæ, si ve expressè, si ve tacitè, *l. fin. Cod. de temporib. appellat.* uti quando accepit terminum ad solvendum.

14. Decimo, non appellatur in causis requirentibus celeritatem, saltem ad impediendam executionem: nec ubi agitur de regularis disciplinæ correctione, *c. An nostrum & aliss. v. quia* ut ait Pont. *d. c. Ad nostram*, remedium appellationis non ideo est inventum, ut alieni à religionis & ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia participium exhibere: nisi corrigens excedat modum in corrigendo, quia tum appellare licet, causa gravaminis expressa, *c. de Priore 31. h. 1.*

15. Undecimo, non appellatur à nominatione ad munera auctoritate publica, & utilitate privata, v. g. ad tutelam, *l. 1. §. si quis D. Quando appellandum sit* Alioquin à nominatione ad munera auctoritate & utilitate publica, licet appellare, *d. 2. Cod. de decurionibus.*

Duodecimo, non etiã ab actu, qui fit secundum juris dispositionem, nisi expressa & inserta rationabili causa, ob quam admitti appellatio debeat: quia regula generalis est,

quod à lege generali, lata ab eo, qui habeat potestatem ferendæ legis, non possit appellari *textus & Dd in c. Quia nos 82. h. c.*

16. Denique, ut alios casus omittam, non appellatur in causis commixtis cum clausula, *Appellatione remota*: quia clausula, quoad appellationem à definitiva, solus princeps in rescriptis suis uti potest, quoad interlocutoriam verò etiam inferior. Nec item à sententia et communi- cationis, jam lata, saltem ad effectum retardandæ executionis. Nec insuper à mentione & mandato de retinendo in Ecclesia, quam quis obtinet, *c. Pervevit 28 & ibi Dd h. tit.*

Notandum postremo, pro complemento, quod in omnibus casibus, in quibus non potest appellari à sententia definitiva, possit appellari ab interlocutoria: quia ejus gravamen non speratur posse reparari per appellationem à definitiva.

§. V.

Coram quo sit appellandum.

1. Appellandum à iudice & coram eo qui sententiam tulit.

2. Absente iudice facta appellatio est irritanda.

1. Appellandum autem est, si ve judicialiter si ve extrajudicialiter, coram Iudice, qui sententiam tulit, & à quo appellatur, *c. N. de iuris 95. h. 111*: quia illi debet innotescere appellatio, ad hoc, ut ulterius non procedat: & si processerit, revocetur per eum actus, tanquam attentata. Ideoque si plures de causa cognoverint, & sententiam dixerint, coram omnibus simul collectis, vel, si omnium copia simul haberi non possit, coram singulis vel majori parte separatim appellari debet, *Clement. 1. hoc tit.* Quod si nec quidem majoris partis copia haberi possit, sufficit appellare coram eo vel iis, cujus vel quorum copia haberi potest, adjecta protestatione. Si denique nullius copia haberi queat, aut etiam coram Iudice appellandum sit, à quo præsertim quis ob justum merum appellare non audeat, protestatione super hoc interposita, & causis appellationis saltem in genere expressis, coram probis viris vel coram Notario & testibus, etiam extrajudicialiter, appellare sufficit, *ca. n. l. & ibi*

Gloss. & Francus h. t. vel adire Judicem ad quem porrigendo ei appellationem suam. Quis autem dicatur metus iustus, relinquitur Judicis arbitrio, *Franc. in d. c. ult. n. 12.*

2. Quando verò appellatio interponitur, Judice & parte absente, debet ob absentiam, quia scilicet copia eorum haberi non possit, appellatio, coram superiore Judice vel honestis personis interposita, utriusque & Judici & parti intimari, ad hoc, ut suspendatur jurisdictio Judicis à quo: nisi aliter ad eorum notitiam pervenerit, ut late deducit *Seaccia de appellat. q. 6. n. 31. & seqq.* Sin autem interposita sit in absentia Judicis, propter ejus metum, non est necesse ipsi fieri intimatio: quia sicut metus iustus excusat ab appellatione, coram eo faciendam, ita & ab intimatione appellationis eidem faciendam. Similiter si appelleretur extrajudicialiter in absentia adversarii, intra mensem ei vel ejus procuratori intimatio faciendam est, *Clement. causam 3. De elect.*

§. VI.

Ad quem sit appellandum.

1. Appellandum à judice inferiore ad superiorem.
2. Et quidem gradatim, non omisso judice intermedio.
3. Quod tamen fallit jura Canonica quoad summum Pontificem.
4. Nisi etiam partes prorogent jurisditionem alterius judicis.
5. Fallit quoque in delegato judice regulariter.
6. De provocante per errorem ad alium judicem, quam debuit.

1. Ceterum appellandum est à Judice inferiore, qui sententiam tulit, ad ejus superiorem, & quidem gradatim ad proximum & immediatum, non autem ad alium, sive æqualem sive superiorem, non proximum, *l. Imperatores 21. in princ. h. t.*

Dico, ab inferiori ad superiorem, quia superioris est corrigere factum seu errorem inferioris, non contra, *c. Cum inferior sup. De majoris. & obed.* adeo ut ne quidem consuetudine induci possit, ut ad majorem vel partem fiat appellatio, quia consuetudo inducens ut minor in majorem vel pariter partem habeat jurisditionem, non valet, *Archidiacon. in c. d. Inferior Distinct. 21.*

2. Dixi, & quidem gradatim ad proximum, *c. Diligenti 65. h. t. c. Romana eod. in 6.* quia confu-

di jurisditiones non debent, *l. Nemo Cod. De jurisdict. omnium iudic. Glof. ibid. in V. auxilium.* Idque adeo obtrinet jure civili, ut ne quidem ad Imperatorem seu Principem, omisso medio Judice liceat appellare, *d. l. Imperatores D. h. t.*

2. Dico, jure civili; quia jure Pontificio à quolibet inferiore Judice, in causis fori Ecclesiastici, vel etiam secularis, quoad eos, qui subsunt temporali jurisditioni Ecclesiæ, ad summum Pontificem immediate, omnis intermedii judicibus, appellare licet, *c. Si duobus 7. c. De priore 31. c. Ad audiendam 34. c. Diligenti h. t.* Stetit & ad Legatum de Latere, in provincia sibi decreta existentem, *c. 1. sup. De officio Legati. & ibid. Panormit. Maranta c. p. ad h. n. 371.* quia gerit vices Papæ, & concurret cum quolibet Ordinario in provincia sibi decreta. Alias regulariter etiam jure Canonico oportet gradatim appellare ad proximum superiorem, nisi forte consuetudo loci (quæ jurisditionem tribuit, *c. Cum contingat. sup. De foro compet.*) aliud ferat, *c. 3. §. ab Archidiacono eod. in 6.*

Ratio diversitatis inter Jus civile & Canonicum est, quia summus Pontifex omnium inferiorum Judicum est Ordinarius, & cum omnibus Ordinariis, ob Sedis Apostolicæ prerogativam, concurret, *d. c. Si duobus 7. & alii. similibus, Concil. Trid. Sess. 24. cap. 20. De reformatione.* nec communicando aliquibus jurisditionem ordinariam vel delegatam, abdicat à se suam jurisditionem. At vero Princeps jurisditionem inferiorem Judicum à se abdicavit, *d. l. Imperatores.*

4. Intellige tamen, appellationem ad alium, quam ad immediatum superiorem non subsistere de jure civili, si contra eam excipiatur, alias valebit, *Glossa in d. cap. Diligenti.* quia partes litigantes prorogare in se jurisditionem alterius Judicis, etiam sine consensu Judicis prioris, possunt.

5. Intellige rursus prædicta, quoad appellationem ab Ordinario Judice: nam à delegato ad delegantem, vel ejus in officio successorem, rectè appellatur, ut antè diximus: nisi Ordinarius delegans delegaret causam, quia suspectus, nam tunc appellabitur non ad ipsum delegantem, sed ad immediatum ejus superiorem: aut nisi delegans totius causæ jurisditionem demandaverit, *c. Super questionem 27. §. porro sup. De officio iud. delegati.*